Caput I.

His in universum praemissis iam singula persequendo videamus, quemadmodum Euripides rationes numerales expresserit. Ac primum quidem si qua erat rei cuiuslibet maior copia significanda, generales nonnulli numeri tragicis praesto erant, quas ipsa eis lingua suppeditabat. Denarios dico numeros veluti centum, mille, decem milia, qui quomodo in hanc consuetudinem venerint, et sagacissime et copiosissime explanat *Hirzel (Berichte über die Verhandlungen der Königl. sächs. Gesellsch. der Wissensch. zu Leipzig philol.-histor. Klasse. Leipzig 1885 Bd. 37, pag. 2 sqq.)* his verbis: *„Es sind dies, wie man sie nennen kann, Stufenzahlen, sie eröffnen eine neue Reihe, die gewissermaassen von ihnen beherrscht wird, oder, wie man auch sagen könnte, sie verhalten sich zu allen folgenden wie das Allgemeine zum Besonderen, denn die 200, 300 u. s. w. sind doch alle nur Hunderte. Diese Allgemeinheit ist der Grund gewesen, weshalb solche Zahlen bei den Dichtern besonders beliebt sind; denn man kann sich ihrer bedienen, ohne wie bei den bis auf die Einer bestimmten Zahlen Gefahr zu laufen, dass durch sie der rechnende Verstand mehr, als dies für den Zweck der Dichtung wünschenswerth ist, in Thätigkeit gesetzt wird: so dass auch hier wieder einmal der alte selbst aus unserer modernsten überrealistischen und -historischen Poesie noch hindurchleuchtende Satz des Aristoteles zu Ehren kommt, dass mit dem Einzelnen es die Geschichte, die Dichtung aber mit dem Allgemeinen zu thun hat.*[1]) *Mit dieser Allgemeinheit ist aber wesentlich eine gewisse Unbestimmtheit verbunden, und diese ist es, um deretwillen solche Zahlen zum Ausdruck des Grossen und Ungeheuren geschickter sind als andere, die grösser, aber bis auf die Einer genau bestimmt sind und eben dadurch unserem Vorstellen scharfe Grenzen ziehen. . . . . Man kann noch die Frage aufwerfen, weshalb man überhaupt bei Angaben über eine unbestimmte Menge, die genau genommen durch „viel“ oder verwandte Worte hätte bezeichnet werden müssen, sich jener eigentlich bestimmten Zahlen bedient habe. Die Antwort ergiebt sich von selber: dass diese Weise der Bezeichnung der dichterischen und der Volkssprache angehört, diese beiden aber durch das Bedürfniss nach möglichst anschaulichem Ausdruck beherrscht werden und daher der abstracteren Bezeichnungsweise die concretere vorziehen müssen.“*

Sic in universum, unde hic usus omnibus fere linguis communis ortus sit, facile intellegitur. In graeca vero lingua, ut iam ad propositum revertamur, inprimis huc pertinet *μυρίος* vocabulum, quod quam saepe usurpatum sit ad infinitam rerum copiam significandam notius est, quam quod fusius exponere opus sit vel etiam exemplis Euripideis, quae sescenta sunt, illustrare[2]). Eodem sensu

[1]) *Poet. c. 9 p. 1451 b 6: ἡ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει.*

[2]) Haud scio an illud, quod hoc maxime vocabulum apud Graecos adeo frequentatur, inde Hirzel l. l. p. 5 iure repetiverit, quod eis simplex vocabulum ad decem milia declaranda in promptu erat. Huic sententiae Hirzelianae alia quidem res repugnare videtur. Nam in Homeri carminibus vocabulum illud nusquam decem milia, sed semper infinitum quendam numerum indicat. Accedit, quod *Il. V, 859 sqq. ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quamvis raro occurrit *μυριάς* vox, quae plerumque substantivi, perpaucis tantum locis adiectivi vice adhibetur, veluti apud Euripidem exstant Phoen. v. 830[1]): *μυριάδες ἀγαθῶν*, Helen. v. 692: *μυριάδες χαλκεόπλων Λαναῶν*, Bacch. v. 745: *μυριάσι χειρῶν ἀγόμενοι νεανίδων*, Rhes. v. 913: *μυριάδες πόλεις*, — liceat enim hic quoque hunc fetum orbum parente in familiam Euripideam assumere. Praeterea ut apud poetas Latinos „centum" et „mille", apud nostrates „hundert" et „tausend" adiectiva numeralia latius patent saepissimeque generalem aliquam vim habent[2]), ita apud Graecos *ἑκατόν* et *χίλιοι* nonnumquam numerum magnum summatim comprehensum indicant. Cuius usus in Euripidis tragoediis pauca tantum vestigia reperiuntur. In Cycl. v. 473 sqq. chorus haec verba facit:

ὡς κἂν ἁμαξῶν ἑκατὸν ἀραίμην βάρος,
εἰ τοῦ Κύκλωπος τοῦ κακῶς ὀλουμένου
ὀφθαλμὸν ὥσπερ σφηκιὰν ἐκθύψομεν[3]).

Vult igitur vel centum plaustrorum onus tollere, dummodo Cyclopis oculum effodere possit. Praeter hunc locum, quo veritatis superlatio atque traiectio, qualis inest in voce *ἑκατόν*, optime convenit in fabulae naturam atque argumentum, quantum video *ἑκατόν* sensu generali apud Euripidem legitur Phoen. v. 1134 sqq., ubi Adrastus dicitur in clipeo insigne gessisse Lernaeam hydram centum serpentibus cinctam:

ταῖς δ' ἑβδόμαις Ἄδραστος ἐν πύλαισιν ἦν,
ἑκατὸν ἐχίδναις ἀσπίδ' ἐκπληροῦν γραφῇ
ὕδρας ἔχων λαιοῖσιν ἐν βραχίοσιν
Ἀργεῖον αὔχημ'[4]).

ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι Ἀνέρες ἐν πολέμῳ, quocum consentit *Il. XIV, 148 sq.*, decem milia voce *δεκάχιλοι* exprimuntur, unde fortasse collegerit quis Homeri temporibus numerale *μύριοι* omnino nondum in usu fuisse. Neque defuerunt, qui ita censerent, veluti *Hermann Schubert, „Zählen und Zahl" (Sammlung gemeinverständlicher wissenschaftl. Vorträge, herausgegeben von Virchow und Holtzendorff), Hamburg 1887 pag. 16*, cum *Pott, Die quinare und vigesimale Zählmethode, Halle 1847 p. 119 adn.* hanc rem in dubio relinquat. At in versu illo Homerico habes profecto formam utique novam, quam poeta in usum suum formavit, ut post vocem antecedentem *ἐννεάχιλοι* iusta gradatio fieret. Cum autem alioquin in carminibus Homericis decem milia non enumerentur, etiam deerat occasio vocis *μύριοι* adhibendae. Per se autem multo verisimilius est ex certo numero infinitum, quam ex infinito certum exstitisse.

[1]) In singulis versibus laudandis editiones Aeschyli Dindorfianam, Sophoclis et Euripidis Nauckianas sequar.

[2]) Non necessarium videtur huius usus exempla proponere, cum in lexicis et Latinis et Germanicis sat multa perhibeantur. Libet autem hoc loco commemorare in Goethii carmine *„Hermann und Dorothea"* etiam „zwanzig" numerum summatim positum esse: *VII v. 127: „zwanzig Männer verbunden ertrügen nicht diese Beschwerde."* Quae usurpatio a nostra lingua admodum aliena videtur. Fortasse Goethe hac in re Homeri vestigia persecutus est, apud quem praeter novenarium, denarium, duodenarium aliosque numeros etiam vicenarium sensu generali saepius occurrere satis constat. Et est locus, qui proxime accedit ad Goethii locutionem *Od. XIV, 98: οὐδὲ ξυνεείκοσι φωτῶν | ἔστ' ἄφενος τοσσοῦτον*. Ceteroquin de numeris Homericis, in quos aliquando universos accuratius inquirere admodum operae pretium fuerit, cfr. *Hercher (Homer und das Ithaka der Wirklichkeit) Hermes I p. 274 sq. adn. A. Gemoll, Jahrbücher für class. Philol. 1883 p. 250 sqq. et ibid. p. 839 sq. H. Landwehr, Zur ältern attischen Geschichte, Philologus Supplbd. V p. 108 adn., 1884; denique D. Sanders l. l.*

[3]) Ita ex speciosa Hertleinii coniectura cum Nauckio et Kirchhoffio et Dindorfio scribendum esse putaverim.

[4]) Locum simillimum habes *Verg. Aen. VII v. 655 sqq.*:

Post hos insignem palma per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus clipeoque insigne paternum
Centum angues cinctamque gerit serpentibus hydram.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atque hac in descriptione centenarium numerum poeticam tantum vim habere quis est qui neget? [1]). — De adiectivis cum *ἑκατόν* voce compositis, quae huc referenda sunt, infra videbimus. — *Χίλιοι* vero vocabulum, ad quod iam transeundum est, rotundi, ut ita dicam, numeri vice saepius usurpatur eis locis, ubi de classe Graecorum ad Troiam missa sermo est. Nam cum e catalogo Homerico mille centum octoginta sex fuerint, Euripides multis locis mille tantum naves perhibet. Scilicet ne languida enumeratione taedium moveret audientibus vel legentibus, traditum illum numerum, quem plane neglegere vix potuit, cum omnium esset in memoria, contrahendo breviorem simplicioremque reddidit vel, ut uno verbo dicam, rotundavit [2]). Veluti scriptum videmus Iphig. Taur. v. 10 sq.:

ἐνταῦθα γὰρ δὴ χιλίων ναῶν στόλον
Ἑλληνικὸν συνήγαγ' Ἀγαμέμνων ἄναξ.

Idem Agamemnon Iphig. Aul. v. 355 nominatur *νεῶν χιλίων ἄρχων*, quocum concordat Electrae fabulae exordium:

Ὦ γῆς παλαιὸν Ἄργος, Ἰνάχου δοαί, [3])
ὅθεν ποτ' ἄρας ναυσὶ χιλίαις Ἄρη
εἰς γῆν ἔπλευσε Τρῳάδ' Ἀγαμέμνων ἄναξ. —

Qui praeterea huc spectant loci Iphig. Aul. v. 174, Iphig. Taur. v. 141, Rhes. v. 262, Or. v. 352, Androm. v. 106, postea tractandi erunt, cum contineant adiectiva cum *χίλιοι* numero composita. Interim a tota Graecorum classe ad naves a singulis civitatibus ornatas nos convertamus. Nam etiam ex his nonnullae enumerantur in Iphigenia Aulidensi. Qua in re Euripides maximam partem consentit cum Homero. Nec mirum. Nam cum in catalogo Homerico, quamvis loquendi ratio ad pedestrem magis sermonem accedat, plerumque tamen numeri rotundi sese nobis offerant [4]), non erat, cur Euripides illos immutaret. Sic quinquaginta naves, quas tribuit Euripides Iphig. Aul. v. 238 Achilli, congruunt cum Homericis (Il. II v. 685) idemque valet de quinquaginta Boeotorum navigiis (Iphig. Aul. v. 254 = Il. II v. 509), de centum Agamemnonis (Iphig. Aul. v. 267 = Il. II v. 576), denique de duodecim Aiacis navibus (Iphig. Aul. v. 293 = Il. II v. 557). Nec magni momenti est, quod Euripides v. 248 sexaginta naves dat Atheniensibus, cum Homerus (Il. II v. 556) quinquaginta tantum naves exhibeat, quamquam non satis perspicuum est, cur Euripides numerum traditum maiorem reddiderit; nisi forte variationi ea in re studuisse eum putas, cum quinquagenarius numerus et antecedat et sequatur. Sunt certe — „haec summa est" — hi omnes numeri rotundi. Iam vero aliter res sese habet Iphig. Aul. v. 277. Cum enim Il. II v. 748 Gunei, Aenianum regis, viginti duae naves numerentur, apud Euripidem „*δωδεκάστολοι νᾶες*" [5]) perhibentur sine dubio idcirco, quod poeta tragicus offendit in numero illo Homerico nimis accurato ideoque molesto. — Ut eis, quos pertractavimus, locis Euripides in universum numerum ab Homero

---

[1]) Cfr. schol. *τῷ ἑκατὸν ἐχρήσατο ἀορίστως.*

[2]) Ut Euripides hac in re Aeschyli exemplum videtur secutus esse (cfr. *Agam. v. 45*), ita poetas graecos imitati sunt *Plautus Bacch v. 928, Vergilius Aen. II v. 198, Ovidius Metam. XII v. 7, 37.* — Accuratiorem eiusdem numeri contractionem praebet *Thucydides lib. I, 10* mille ducentas naves proferens.

[3]) Varias coniecturas, quibus viri docti hunc versum tentaverunt, hic praetereo, cum ad rem, quam nobis proposuimus, nihil pertineant.

[4]) Cfr. *Hirzel l. l. p. 3 adn.*

[5]) Ita Hermannus summo iure traditum *δώδεκα στόλοι ναῶν* correxit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

traditum, dummodo simplex atque rotundus esset, retinuit [1]), ita etiam aliis in rebus computandis facere solet.

Agitur autem praecipue de quinquagenario numero, qui iam apud Homerum saepius de maiore aliqua copia generatim positus [2]) postea maxime videtur in usum venisse ad magnam quandam progeniem deorum vel heroum illustrandam. Huc pertinent, ut a deabus initium faciamus, quinquaginta illae Nereides, quae nonnumquam in Euripidis tragoediis nobis occurrunt, veluti Andr. v. 1267, Iphig. Taur. v. 274, 427, Iphig. Aul. v. 1056 etc. Atque hac in re nimirum poeta secutus est Hesiodum, qui primus rotundum illum numerum adhibuit *(Theogon. v. 243 sqq.)* [3]). — Iam quinquaginta Nerei filias excipiat alia „*γέννα πεντηκοντάπαις.*" Secundum Homerum *(Il. VI, 243 sqq., XXIV, 495)* enim Euripides Troad. v. 135 Priamum vocat *τὸν πεντήκοντ' ἀροτῆρα τέκνων* itemque Hecuba ipsa, quamquam ex Homeri verbis *(Il. XXIV, 496)* undeviginti tantum filios ediderat [4]), Hec. v. 421 queritur: *ἡμεῖς δὲ πεντήκοντά γ' ἄμμοροι τέκνων,* quo loco recte scholiasta videtur sumere Hecubam, ut calamitatem suam augeret, etiam nothos Priami liberos illo numero comprehendisse. — Restat, ut breviter commemorem etiam quinquaginta Aegypti filios nec non quinquaginta Danai filias apud Euripidem occurrere fragm. 228, 846.

Atque haec quidem de numeris generalibus atque rotundis dicta sint, quatenus nude posita in Euripidis fabulis reperiuntur.

---

[1]) Non recte igitur videtur fecisse Weil, quod Iphig. Aul. v. 242 *ἰσήρετμοι* vocabulum de Argivorum navibus dictum ad numerum revocavit Achillis navium, quae antea commemorantur. Ex Weilii enim computatione efficerentur quingaginta tantum naves Argivorum, cum in Iliade II v. 568 octoginta afferantur. Maius profecto discrimen, quam quod Euripidi tribuere possimus, quippe qui toto loco Homerum summa diligentia secutus sit. Est potius illud *ἰσήρετμοι* explicandum cum Klotzio: „*naves quae simili remigio ut illae Phthioticae fuerunt. Ex similitudine enim remorum ipsarum navium similitudo ostenditur.*"

[2]) Exemplum insigne exstat *Od. XX, 49 sqq.*

εἴ περ πεντήκοντα λόχοι μερόπων ἀνθρώπων
νῶϊ περισταῖεν κτεῖναι μεμαῶτες Ἄρηϊ,
καί κεν τῶν ἐλάσαιο βόας καὶ ἴφια μῆλα.

[3]) Numero quinquagenario autem, quamquam Hesiodus singulas Nereides omnes nominatim affert, generalem tantum vim subesse etiam inde intellegi potest, quod posterioribus temporibus vel centum Nereides numerantur; cfr. *Platonis Critias p. 116 E; Ovid. Fast. VI, 499; Propert. ed. Haupt IV, 7, 67.* Difficultatem quandam attulerunt interpretibus quae leguntur *Soph. Oed. Colon. v. 718: τῶν ἑκατομπόδων Νηρήδων.* Nam cum scholiasta statuere poetam revera quinquaginta Nereidum pedes computasse sane nimium quantum ineptum est. Quamquam fuerunt, qui opinarentur! Quaeritur igitur, utrum cum Brunckio, Bothio, Reisigio aliisque centum Nereides illo epitheto significari velimus, an Hermannum secuti intellegamus Nereides „multipedes" i. e. frequentes. Atque equidem, ut confitear, Hermanno facere non possum quin astipuler, cum Sophoclis temporibus quinquaginta tantum Nereides numeratae esse videantur, *ἑκατόν* autem in huiusmodi adiectivis compositis in universum magnum numerum indicare soleat, qua de re infra. — Simul posteriore parte compositi notionem saltandi leviter significatam esse iam Elmsley monuit ad hunc locum, quem iure secutus est Nauck.

[4]) *Theocritus Id. XV v. 139* hunc numerum more poetico rotundavit viginti Hecubae filios tribuens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf